



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Christiana Ancilla Ibera. 15. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

314 VITÆ SANCTORVM. 15. Dec;

omnes primus meritò laudatur. Nam cùm pater
exigui lucelli spe, quam Rex Saracenus ostenta-
bat, induens, à Christo ad Mahometis partes
malum pedem tulisset, repressit suum DACHA-
TIVS; rectè sic à parente degener. Pòst ubi mor-
tem infelicem sed debitam sceleri tanto pater op-
petiit, DEI ductu & matris optimæ, Ierosolymas
abiit, rictusque Christianis undis in D. Sabæ
cœnobio, ingentibus, quæ postea edidit, præliis
egregius sui vîctor prælufit. Tum denique & celi
ope & suâ virtute satis armatus in patriam ex-
currit, &, cùm matri copias junxit, post multas
pugnas fratres omnes dare manus vietas Christo
coegit. Vnum tantum excipe, qui fide non ger-
manâ, sed Punicâ sanè, DACHATII nomen ad
Prætorem detulit. Hic vinculum ad Tribunum
misit. Sed neque fratri perfidia, neq; carnificum
tormenta tantum potuerunt, ut non vinceret
DACHATIVS. Victor igitur caput gladio subinicit
tot civicis coronis condecorandum, quot patriæ
cælesti cives fratres servavit. Ex Menaïs.

Nihil est quod anima possit equiparari, ne univer-
sus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias
pauperibus eroges, plus tamen efficeris, si unam con-
verteris animam. S. Ioan. Chrysost. super Psal. 48.

S. CHRISTIANA ANCILLA IBERA.
15. Decembris.

H Vjus quoque nomen nescimus, credo, quia
virtus supra cælos hoc evexit. Illud satis con-
stat, vixisse, cùm rerum Constantinus potiretur,
& Iberis servitutem serviisse; ceterum præter
conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac
SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ acce-
pisse.

15 Dec. VITÆ SANCTORVM 615

pisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ matronæ gravimorbo afflictum precibus ad DÉVM fusis valetudini restituerat, cùm ejus facti rumor ad aures reginæ gentis perlatus est, tunc itidem graviter fortè è morbo decumbentis. Ergo, cùm in spem valetudinis & ipsa venisset, deportari servulorum manibus ad Divam nostram voluit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem extemplo & vires recepit, quas frustra in regiis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Numini foret, auctor esse conjugi regi cœpit, ut Christo sedéderet, cui morbi & mors ipsa jam parerent. Ille moris moras neccebat, dum inter venandum iratos & cælos, & ventos expertus, & in ultimum vitæ periculum devolutus, opem Christi præsenté ipse etiam sensit. Tum verò templum Déo posuit, in quo Diva hæc columnam, cùm viribus nullis posset, precibus erexit, suspensamque in aëre tam diu servavit, dum spectantibus omnibus suopte motu in locum suum desidéret. Arque in hoc templo primas Christo Iberi aras, pectora sua devovereunt. Gere castum cor, & templum Salomonæ prefiantius erexit. Ex Socrate & Theodor.

Quemadmodum febricitates appetitum & robur amittunt: sic qui principum aulas frequentant, mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repantan hoc dictum, Nosce te ipsum. Anton. Monach serm. 59. sententiarum.

SSS. ANANIAS. AZARIAS. MISAEL.
16. Decembris.

A Page vetus Roma cum foculo suo Scævolam atrium! In fornacem hanc oculos mitte, & superari à pueris Hebræis viros tuos specta. Tres erant